

NICANORIS

Peri
U dyssevakes ΠΕΡΙ *Stygmes*
ΟΔΥΣΣΕΙΑΚΗΣ ΣΤΙΓΜΗΣ

RELIQUIAE EMENDATIORES.

EDIDIT

OTTO CARNUTH

DR. PHIL.

BEROLINI MDCCCLXXV.

SUMPTIBUS FRATRUM BORNTAEGER

ED. EGGERS.

NICANORIS

ΠΕΡΙ

ΟΔΥΣΣΕΙΑΚΗΣ ΣΤΙΓΜΗΣ

RELIQUIAE EMENDATIORES.

EDIDIT

OTTO CARNUTH

DR. PHIL.

BEROLINI MDCCCLXXV.

SUMPTIBUS FRATRUM BORNTAEGER


ED. EGGERS.

Halis, typis Orphanotrophei.

GOTTLOBO RICHTER

COLLEGAE AMICISSIMO

D.



Cum abhinc fere viginti quinque annos Nicanoris *περὶ Ἰλιάκῃς στιγμῃς* reliquias emendatiores Ludovicus Friedlaender praeceptor meus edidisset, non potuit non videri optabile, ut eiusdem grammatici Alexandrini etiam *περὶ Ὀδυσσειακῃς στιγμῃς* fragmenta e scholiorum indigesta mole protracta colligerentur collectaque in usum virorum doctorum, mendis, quibus sunt depravata, sublatis, in lucem proferrentur.

Quod munus cum ego suscepissem, virorum, quorum auctoritatem maximi semper habui, voluntati cedens, non eram nescius fore ut hoc nostrum opusculum in varias incurreret reprehensiones. Permultos enim esse intellego, qui de his studiis eam animo imbiberunt opinionem, ut eorum tractationem leve quiddam esse ac parum fructuosum existiment, sive contemnentes tamquam parva, sive, quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam fore in rebus etiamsi necessariis, procul tamen ab ostentatione positis. Erunt etiam, qui nos non tam reprehendant, sed ad alias literas iucundiores vocantes ne „a fertilibus optimorum scriptorum campis ad desertas grammaticorum regiones devio itinere abducamur“ timere se dicant.

Ego autem mirari satis non queo, unde hoc sit tam insolens illorum grammaticorum studiorum fastidium. Non est omnino hic de discrepantibus opinionibus certandi locus: sed ego semper in ea fui sententia praeclaram illam veterum grammaticorum praeceptorum scientiam ita esse cum reliquis philologiae partibus coniunctam atque copulatam, ut eam qui distrahere ac divellere conarentur aut ut multum infra despectarent, pessime tum suis, tum alienis studiis consulere et exitiale quasi litterarum antiquarum discidium inducere arbitrarent. Haec res affert mihi memoriam Wolfii, quam nulla unquam temporis longinquitas delebit; hic in prolegomenis p. XIX de veterum

grammaticorum studio sic dixit: Nequaquam me poenitet huius studii, quod per hanc occasionem in tractatione veterum grammaticorum consumpsi. Immo tantum eo me adiutum sentio, non modo ad hoc opus, sed ad omnem facultatem linguae Graecae, neminem ut arbitrer in ullo Graeco scriptore edendo proficere posse, nisi simili cursu lectionis praecepta illorum collegerit et ad optimas rationes examinaverit. Neque id molestum negotium est ei, qui assiduus et alacri animo idoneas rei horas carpere consuerit. Credo sane facilius esse grammaticorum minutias ridentem de Homericæ saeculi barbarie et horrido sive erudito cultu sermonis, de fabulari historia et insipientia mythica, vel de epici carminis virtutibus ex Aristotelis decretis philosopho molimine disputare. Nempe taedet in ista lectione doctos indoctarum quarundam et minutarum argutiarum. At primum modestia vetat ullam rem contemnere, priusquam eam probe cognoveris. Et, ne dicam, quam multa illi nobis soli ex vetusta memoria servaverint, iidem argutuli saepe etiam sensum verborum optime expediunt, quippe quos usus linguae nondum penitus amissus tutos praestabat a pluribus erroribus, quos hodie male tegimus novae interpretationis deliciis. In Homero porro singularis oblectatio quaedam et dignitas illius operae accedit ex eo, quod variarum lectionum et canonum technicorum, quos libri grammatici et scholia praebent, conquisitione et censura in vetus et plerisque antiquis scriptoribus antiquius aevum ac quasi in societatem vocamur doctissimorum criticorum, quorum iudicia et praeceptiones, quibus olim Ciceronis, Vergilii, Horatii adolescentia alebatur, quamvis de Graeca, id est patria ipsorum, lingua scriptas, nos barbari ὀψιμαθεῖς passim non absurde refingere posse videamur. Talem conditionem critici muneris nullus est scriptor aut poeta antiquitatis qui perinde atque hic noster offerat. Quum vero plurima ex illorum criticorum commentariis, tanquam per manus tradita, alia in alias aetates, vetustissima partim in novissimas, devenerint, omnes istius generis reliquias colligere plane oportuit eum, qui integriorem textum requirebat. Quodsi illud industrie feci, atque nullum neglexi locum, unde hanc recensioem limatiorem redderem, nihil mihi laboravisse videor, praeterquam quod res ipsa exigeret. Minime ergo querar, quantum molestiae exhauserim in hoc tam diversarum rerum paratu, in tot scriptoribus per-

volvendis, in legendis et partim reconcinnandis scholiis, atque in conquirenda et excutienda tanta et persaepe inutili farragine glossarum et lectionum. Navavi libens, quod quaecumque navavi et ad meam ipsius utilitatem.

Sed haec missa faciamus et ad propositum revertamur, ut breviter exponamus nostri consilii atque instituti causam rationemque, quam si quis cognoverit, spero fore ut simul et id, quod facio, probet et me, si aliter fecissem, iustam doctorum et intellegendium virorum reprehensionem nullo pacto effugere potuisse existimet.

Non prius Homeri carmina severis historiae legibus poterunt ad doctioris antiquitatis normam revocari, quam lectiones cum aliorum grammaticorum accuratius cognitae, tum Aristarchi ex omnibus subsidiis ita conquisitae fuerint, ut id, quod hic legit quodque legisse videtur, esti non certis tamen probabilibus argumentis ubique cognoscamus. Nam scripturae eius omnino reponendae, aut, si displicent, indubitatis rationibus ac perspicuis refellendae sunt, quae sufficiant ad auctoritatem tanti nominis elevandam. Ac textum Aristarchi qui non modo naviter explorarit, verum etiam prudenter examinarit, optime de studiis nostris meritus erit; qui priori rationi recte consuluerit, tanto maiorem consequetur laudem, quo certius nobis persuaserit de variis probabilitatis gradibus, qua Aristarchi scripturae dispiciantur; qui vero, nec vetustate neque origine lectionum patefacta, id scribere maluerit, quod suo ipsius modulo conveniat, is, etiamsi accuratissimam Graecae linguae cognitionem cum singulari mentis acumine coniungat, elegantia tamen operis rectius poterit, quam prudenti artis usu gloriari. Sic monet W. C. Kayserus, philologus optime de Homeri carminibus meritis, quem honoris causa citavi, in disputatione altera de versibus aliquot Homeri Odysseae, neque sunt, qui illius doctissimi viri sententiam assensione non comprobent. Diligentius igitur pervestigandi, colligendi, emendandi sunt lectionis Aristarchaeae fontes, quos scholia, excerpta illa praestantissimis ex variorum grammaticorum veterum ad Iliadem et Odysseam observationibus in unum corpus conflata continent, id contendendum et elaborandum est, ut illorum grammaticorum libros — quorum cum studiis Homericis nisi intimam contraxeris familiaritatem, continget tibi quod multis, ut in vanum cadant tua ipsius Homerica stu-

dia — quantum licet ita restituamus, ut uno tenore continenter legi possint.¹

Itaque ego, posteaquam a Carolo Lehrsio quid Aristarchus non solum ingenio, doctrina artisque criticae facultate, sed etiam subtili sermonis HomERICI cognitione suavissimo Graecorum vati praestiterit didicimus et ab eo Friedlaenderoque Herodiani, Nicanoris, Aristonici libros ad Iliadem e scholiis compositos accepimus, posteaquam Augustus Lentz Herodiani technici reliquias collegit, non alienum putavi acerrimo philologi studio, id quod praeceptores mei laudatissimi et doctissimi in Iliade viam aperientes orsi sunt, in Odyssea pro viribus continuare et eandem illam viam toto pectore omnique animi contentione, quamquam „non passibus aequis“ sequentem conficere. Nonnullis minora fortasse videntur haec, sed si neglegas, non sit maioribus locus, neque ad ullius rei summam nisi praecedent-

1) cf. Ameis, praef. ad edit. Odysseae p. I¹ pag. V et p. II¹ pag. V. — Nuper Homeri Odysseam ad fidem librorum optimorum edidit J. La Roche, qua in comparanda nova Odysseae editione se ante omnia et sibi proposuisse in praefatione dicit vir doctissimus, ut textum ederet qui optimorum librorum auctoritate niteretur et in adnotatione de fide cuiusque scripturae redderet rationem. Itaque se excussisse libros manuscriptos aut nondum adhibitos, aut non ea diligentia collatos, ut fructus ex his perciperetur, simul ex veterum grammaticorum scriptis se congegisse, quaecunque emendandae Odysseae viderentur esse utilia. Commentarium ita se instituisse, ut varias librorum scripturas ab iis seiungeret, quae ad veterem quandam grammaticum essent referendae. At cave credas has adnotationes criticas, quae ad veteres grammaticos spectant, plene et perfecte ita ut nihil desideretur undique exhaustas aut omnes esse recte relatas. Hoc praestare La Roche nec voluisse nec potuisse videtur, quod unius hominis, etiam doctissimi, vires longe exsuperat, nondum praeparatis subsidiis, quae ad hoc efficiendum opus sunt. Id vero non ita dico — οὐ γάρ εἰμι φιλόμωμος — ut laudes viri doctissimi extenuem, sed ut quam necessarii sint tales apparatus, quibus via muniatur, ostendam. Quod ad Nicanorem attinet, La Roche refert ad eum scholia ad α 4. 241. β 33. 136. 182. 232. 260. γ 45. δ 642. ε 56. 208. ζ 167. 183. μ 102, quorum primum sic corrigendum est, ut iam Friedlaenderus fecit; scholia ad β 148. δ 428. η 183. 210. ρ 160. σ 297. ψ 28. 218. ω 512 citavit ille quidem, sed ad Nicanorem, cui debentur, non retulit; *centum octoginta quatuor* adnotamenta Nicanoris, quae praeter illa viginti tria nominata, in Odysseae scholiis reperiuntur, in adnotatione sua critica non produxit neque dicit haec, quae omisit, omnia minus utilia esse videri emendandae Odysseae quam illa, quae citavit.

tibus initiis perveniatur. Operosum spissumque molimur negotium, sed necessarium et quod primariorum in litteris virorum laboribus est illustratum.

Antequam qua via ac ratione in Nicanoris fragmentis indagandis et discernendis processerim exponam, pauca quaedam de Nicanore ipso eiusque scriptis ex Maximiliani Sengebuschii homerica dissertatione priore hoc loco repetere placet.

Nicanor Alexandrinus novam interpungendi rationem invenit applicavitque ad Homeri et Callimachi carmina. Totam doctrinam suam sex libris *περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου* exposuit, quorum ipse etiam epitomen confecit; Homeri carmina quomodo e legibus a se inventis distinguenda essent opere *περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὀμήρου καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ* docuit, cuius duae erant partes *περὶ Ἰλιάκῃς στιγμῆς* et *περὶ Ὀδυσσεϊακῆς στιγμῆς*. De Callimacho liber fuit *περὶ στιγμῆς τῆς παρὰ Καλλιμάχου*. His quatuor operibus quintum Suidas¹ addit simpliciter *περὶ στιγμῆς* inscriptum. Praeterea alia idem Nicanorem ait scripsisse nominatque ipse libros *Κωμωδομένων, περὶ ναυστάθμου, περὶ τοῦ ὄναξ*. Praecipue tamen in distinguenda interpunctione elaborasse Nicanorem patet, unde factum ut irrisionis causa *Στιγματίαν*² eum appellarent. Aristarchi editiones ipsas num ad manum habuerit Nicanor incertum esse docuit Friedlaender p. 104 sq. Didymi qui doceant opere *περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως* usum illum esse idem vir doctissimus in medium protulit locos; item locos, quibus probabile redditur Aristonici quoque *Σημεῖα* Nicanorem adiisse. Ab Aristarcho neque in coniungendis dispescendisque enunciationibus neque in lectione reliqua constituenda Nicanorem pependisse totum Friedlaender demonstravit; multo saepius tamen cum Aristarcho stetisse quam ab eo recessisse reperitur in fragmentis; iudicavisseque videtur diligenter, si quid contra Aristarchi auctoritatem esset molitus.

1) p. 982, 14: *Νικάνωρ, ὁ Ἐρμείου, Ἀλεξανδρεὺς, γραμματικὸς, γεγὼνώς ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ Καίσαρος, ὅτε καὶ Ἑρμιππος ὁ Βηρύτιος. Περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὀμήρου καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ, περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου, βιβλία ἕξ, ἐπιτομὴν τούτων, βιβλίον ἓν, περὶ στιγμῆς τῆς παρὰ Καλλιμάχου, Κωμωδομένα, περὶ ναυστάθμου, περὶ τοῦ ὄναξ, περὶ στιγμῆς καὶ ἄλλα.*

2) Eustath. 20, 12: *ἐν οἷς καὶ Νικάνωρ ὁ Στιγματίας ἐπικληθεῖς, διότι ἐπολυλόγησε περὶ στιγμῶν.*

Nicanoreorum fragmentorum, quae per singulos Odysseae libros in scholiis atque apud Eustathium confuse et promixte dispersa sunt, collectio non una de caussa magnis implicata est difficultatibus. Nam primum facile intellegitur rem esse multi laboris, quae tota fere posita est in digerendis et interpretandis singulis locis, qui magnam partem aut mendosi ac nondum persanati sunt aut propter obscuritatem perambiguam habent explicationem. Nam cum incredibiliter depravati circumferuntur ei libri, unde grammaticae in historia versantibus maxima pars materiae sumenda est,¹ tum praesertim nihil est corruptius in toto hoc genere quam scholia in Homeri Odysseam. Quamquam horum scholiorum eadem est atque illorum, quae in Iliadem habemus, primaria origo eademque fere indoles,² tamen a grammaticis, qui haec excerpta composuerunt plurimisque recentiorum interpretum additamentis, ingenti multitudine observationum etymologicarum et allegoricarum et praesertim eius generis, quarum auctores *λυτικοί* et *ἐνστατικοί* appellantur, auxerunt, multo magis quam scholia in Iliadem compendii verbis facta sunt, praesertim in altera Odysseae parte, ubi scholia paullatim ita deficiunt, ut ad postremas rhapsodias pauca recentiorum, paucissima antiquiorum scholiorum excerpta relicta sint.³ Sic Nicanoris nomen passim servatum in scholiis Iliadis⁴ codicisque Venet. A subscriptionibus, ab Eustathio saepius citatum, plane evanuit ex scholiis in Odysseam, ac si cum magna illa ad Iliadem copia notarum comparantur fragmenta, quae quam accuratissime potui hoc in libro in unum collegi — sunt autem

1) Monet Lehrs in „Emendationibus scholiorum Homericorum,“ app. ad Herodiani scripta tria emendatiora p. 454 et H. J. Polak in observationibus ad scholia in Homeri Odysseam p. 1.

2) cf. Lehrs de Aristarchi studiis p. 30 et Polak l. c. p. 6.

3) cf. Dindorf in praefatione ad scholia graeca in Homeri Odysseam p. III et Max v. Karajan ueber die Handschriften der Scholien zur Odyssee — Sitzungsberichte der philosophisch-historischen Classe der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften 1857, Bd. XXII, p. 266: Wir haben — und das charakterisiert wohl am besten den Unterschied zwischen den Scholien zur Ilias und zur Odyssee — in den letzteren mehr ein planloses Aggregat, aus einer Masse von Handschriften zusammengetragen; keine einzige bietet uns eine so vernuenftig angelegte Redaction wie der Venet. A.

4) cf. indicem auctorum apud Friedlaenderum.

ducenta septem — concedi oportet longe maiorem iacturam nos fecisse in ea operis parte, quae de Odysseae interpunctione fuit, quam in Iliade. Neque iam discernere possumus utrum hoc codicum librariis modo sit imputandum an etiam ea de causa factum, quod veteres grammatici plus curae Iliadi impenderint quam Odysseae.

Cum talis sit in Odysseam scholiorum conditio, cum nullus ex iis codicibus, qui ea praebent, ad praestantiam codicis Venet. A aliquatenus accedat, hoc loco praedicandum est nunquam ex tam tenui farragine, in qua insunt bona et utilissima, insunt simul etiam pessima, Nicanoris doctrinam describi potuisse, nisi Friedlaenderus summa diligentia, subtilitate, doctrina Nicanoris *περὶ Ἰλιάκῃς στιγμῆς* reliquiis ex cod. A emendatius editis viam aperuisset. Quam ob rem fateor atque etiam profiteor et prae me fero, ut cuius praeceptis sumi eruditus apud eum ipsum quod ab eo didicerim velim expromere, hanc collectionem fragmentorum *περὶ Ὀδυσσεϊακῃς στιγμῆς* totam pendere ex Friedlaendero.

Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum videtur esse, quomodo per singulos Odysseae libros Nicanoris adnotamenta in scholiis sint divisa, summatim proponere. Habemus

ad librum	α	12	scholia	Nicanoris
„	β	26	„	„
„	γ	6	„	„
„	δ	43	„	„
„	ϵ	25	„	„
„	ζ	13	„	„
„	η	16	„	„
„	θ	11	„	„
„	ι	3	„	„
„	κ	3	„	„
„	λ	5	„	„
„	μ	6	„	„
„	ν	2	„	„
„	ξ	6	„	„
„	$\omicron$	7	„	„
„	π	3	„	„
„	ρ	4	„	„
„	σ	5	„	„

ad librum τ	1	scholium Nicanoris		
„ v	1	„	„	
„ φ	0	„	„	
„ χ	2	„	„	
„ ψ	2	„	„	
„ ω	5	„	„	
Sa. 207				

unde optime cognosci licet id quod supra commemoravimus ad postremas rhapsodias paucissima ut antiquiorum scholiorum, sic etiam Nicanoris excerpta esse relictā.

Sequitur ut codicum, qui in Nicanoreis fragmentis colligendis sunt adhibendi, fidem et diligentiam accurate exploremus. Nam in tanta ruina, qua scholia in Odysseam oppressa sunt, non solum ex uno codice praestantissimo, ut ante me Friedlaenderus fecit in Iliade, hauriendum, sed ratio etiam habenda erat omnium librorum manuscriptorum, qui plus minusve ex Nicanore sumptum continent et saepissime, ubi perversa tradunt, indicant certe eo loco Nicanoris adnotamentum extitisse, quod ubi ex aliis Nicanoris praeceptis cognitum est, facile potest restitui. Qua in re hoc tamen summo opere cavendum est, ne omnia, quae in scholiis de interpunctione circumferuntur, etiam a Nicanore scribi debuisse vel potuisse existimemus.

Codicum, qui Nicanoris fragmenta ad Odysseam continent, divitissimus atque integerrimus est Palatinus, quamquam apud viros doctissimos non in summo honore esse solet. De hoc Dindorfius in praefatione editionis scholiorum p. XII haec tradidit: Aliquanto inferioris notae (quam T) est P. Heidelbergensis bibliothecae olim Palatinae nunc Academicae. Est membranaeus saeculi quarti decimi... scholia huius libri valde inter se dissimilia sunt. Nam scholia rhapsodiarum δ ϵ ζ η literis minutissimis et propter compendia lectu difficilibus scripta notae sunt melioris et saepe eadem, quae in codicibus HQ, sed reliquis rhapsodiis, quae a manu recentiore allita sunt, scholia multo breviora sunt nec raro levia et futilia... Karajan p. 280: Da die Hauptstaerke von P in den Scholien zu den Buechern δ - η beruht, so sollte man meinen, dasz er wohl die meisten mit einer der uebrigen Handschriften gemein haben muesse, indem zu diesem Theile der Odyssee HTQEB ebenfalls reiche Bei-

traege liefern. Dem ist aber nicht so. Denn wenn auch P viele Scholien namentlich mit den 3 Ambrosianis theilt, so ist dies doch bei Weitem nicht bei der Mehrzahl der Fall und dann ist die Uebereinstimmung durchaus keine vollkommene. — In his autem quatuor libris δ ϵ ζ η insunt optima Nicanoris scholia

ad δ	20
„ ϵ	24
„ ζ	9
„ η	12
Sa.	65

quorum 48 Nicanoris verba ipsa continent — talia scholia asterisco * signavi — 31 in hoc codice solo servata sunt — haec uncis () inclusi. Praetera in P leguntur scholia Nicanorea

ad α	1
„ γ	1
„ ξ	1

ut summa omnium sit 68, in his 49* et (31), quam bonitatem nullus alius codex aequiparavit.

Secundum locum obtinet codex Q Mediolanensis Bibliothecae Ambrosianae, de quo v. Dindorfium l. c. p. VIII. Habet Nicanoris scholia ad omnes fere Odysseae libros:

ad α	4	in his	1*	—
„ β	12	„	9*	(2)
„ γ	2	„	—	—
„ δ	20	„	16*	(4)
„ ϵ	12	„	8*	—
„ ζ	5	„	—	(1)
„ η	3	„	—	—
„ θ	4	„	2*	(1)
„ ι	1	„	—	(1)
„ κ	1	„	—	—
„ λ	2	„	1*	(1)
„ μ	2	„	1*	(2)
„ ξ	2	„	1*	—
„ ρ	1	„	—	—
„ σ	2	„	—	(1)
„ υ	1	„	—	—
		Sa.	74	39* (13)

Sequitur Harleianus Musei Britannici H; — apud Dindorfium p. IV: scholia sunt antiqua et optimae notae, qualia ad rhapsodias quatuor primas codicis Veneti M. esse supra dicebam, quorum plurima communia habet liber Harleianus. — Nicanoris adnotationes continet:

ad α	2	—	—
„ β	10	in his	6* (2)
„ γ	3	„	2* —
„ δ	15	„	11* (3)
„ ϵ	4	„	— —
„ ζ	3	„	2* —
„ η	4	„	4* (2)
„ θ	5	„	4* (4)
„ ι	2	„	2* (2)
„ κ	2	„	— (1)
„ λ	2	„	1* —
„ μ	2	„	1* (2)
„ ν	1	„	— (1)
„ ξ	2	„	1* (1)
„ $\omicron$	5	„	3* (4)
„ π	1	„	— (1)
„ ρ	3	„	— (2)
„ σ	2	„	— —
„ ω	1	„	— (1)
Sa. 69		37* (26)	

M Venetum Bibliothecae Marcianae — apud Dindorfium p. IV — accuratissime nuper Arthurius Ludwich in programme Academiae Albertinae 1871 I descripsit. Idem vir doctissimus in Addendis ad Lentzii Herodianum ostendit hunc codicem non solum usque ad quartum librum, sed ad totam Odysseam larga continere scholia. „Quorum de amplitudine ac pretio aliquanto rectius iudicabitur, si lectores edocuero, omnia fere scholia ab Aldo Manutio primum edita et a Dindorfio litera V (i. e. scholia Vulgata) notata in codice illo inveniri. In Marciano insunt scholia et a M¹ et a M² scripta, (M³ et M⁴ nulla adpinxerunt) sed longe plurima alii scriptori diligenti quidem, sed satis indocto debentur, quem nota M* insignivi.“ In eodem programme insunt scholia ad Odysseae librum XIII ex cod. Veneto et Mona-

censi edita, sed haec nullum Nicanoris adnotamentum continent, ita ut in angustissimum gyrum compulsus sim eorum scholiorum, quae Dindorfius ex hoc codice edidit. Habet autem Marcianus ex Nicanore hausta haec scholia:

ad α	1	—	—
„ β	13	in his	9* (1)
„ γ	4	„	2* —
„ δ	8	„	5* (1)
Sa. 26		16*	(2)

Sequitur S Parisinus — apud Dindorfium p. XIV —; scholia et glossemata in Odysseam, quae desinunt ad rhapsodiae tertiae versum 48, bona sunt et antiqua, etsi minus quam in codice Harleiano cognatisque libris copiosa. Karaian l. c.: im uebrigen enthaelt er nur Scholien, die beinahe in allen uebrigen Handschriften ebenfalls erscheinen. — Huic Nicanorea scholia debemus:

ad α	1	—	—
„ β	11	in his	7* —
Sa. 12		7*	—

Ambrosianus B — Dindorf p. XII — ex Nicanore sumpsit scholia:

ad α	1	in his	1* —
„ β	4	„	1* —
„ γ	2	„	— —
„ δ	4	„	2* —
„ ζ	1	„	— (1)
„ η	3	„	1* —
„ θ	2	„	1* —
„ ξ	1	„	— (1)
„ $\omicron$	1	„	— —
„ π	1	„	— (1)
„ ρ	1	„	— —
„ σ	3	„	— (1)
„ υ	1	„	— —
Sa. 25		6*	(4)

T codicis Hamburgensis — Dind. p. IX — antiquiora scholia maxime conspirant cum codd. Ambrosianis QEB et cum Palatino, neque non ille cum minoribus scholiis multa commu-

nia habet. Sed cum in ceteris nonnulla propria Hamburgensi sint, tum maxime in rhapsodiis ϑ ι κ longe hic reliquis uberior est. — Karajan l. c. p. 278: Die Quelle ist unschwer zu finden, wenn wir das Verhaeltniss von T zu den 3 Ambrosianis QEB ins Auge fassen, die zu einander in weit engerer Beziehung stehen, als irgend welche von den uebrigen. Hiermit soll nicht gesagt sein, dass T aus diesen drei geschoefft habe, was schon der Zeit nach nicht moeglich waere, wohl aber kann dem Schreiber von T die Quelle vorgelegen haben, aus der namentlich Q die auch in H und M enthaltenen Scholien heruebernahm. Daher erklaert es sich, dass wo T ein Scholion mit H gemein hat, meistens auch Q oder die beiden anderen Ambrosiani dasselbe haben. — Nicanorea scholia Hamburgensi T debentur haec:

ad α	2	in his	2*	—
„ β	1	„	1*	—
„ δ	1	„	1*	—
„ ε	2	„	1*	—
„ ζ	1	„	—	—
„ η	3	„	1*	—
„ λ	1	„	—	—
Sa. 11			6*	—

In codice E Ambrosiano — Dind. p. XIII — insunt rhapsodiae Odysseae novem primae cum scholiis satis copiosis, partim bonis et antiquis, partim levibus et inutilibus. Nicanoris annotationes habet:

ad α	2	in his	—	—
„ β	2	„	1*	—
„ δ	6	„	3*	(1)
„ η	1	„	—	(1)
„ ϑ	2	„	1*	(1)
Sa. 13			5*	(3)

Litera V scholia designavit Dindorfius — p. XV — quae vulgata vel comparatione facta cum Eustathii commentariis minora, vel quod nulla ratione nititur Didymi appellari solent. Excerpta continent — p. XVI — ex scholiis antiquis amplioribus, in quibus grammaticorum Alexandrinorum de scripturae diversitate verborumque interpretatione opiniones expositae fue-

runt, multo quidem illa et pauciora et breviora quam in codicibus Harleiano et Marciano, sed non inutilia ad illorum codicum scholia vel locupletanda vel corrigenda. — Insunt Nicanoris scholia:

ad α	6	in his	—	(2)
„ β	4	„	2*	—
„ ζ	1	„	—	—
„ ϑ	1	„	—	—
„ λ	1	„	1*	—
„ μ	2	„	—	(2)
„ ψ	1	„	—	(1)
„ ω	1	„	1*	(1)
Sa. 17			4*	(6)

Libris Vindobonensibus tribus 5. 56. 113 debemus scholia ex Nicanore hausta

ad ν	1	in his	1*	—
„ ψ	1	„	1*	(1)
Sa. 2			2*	(1)

Agmen claudit R Florentinae Bibliothecae Laurentianae, — Dind. p. XIII — qui scholia antiqua in quatuor primas Odysseae rhapsodias continet. — Karaian l. c. p. 272: Vor allen muss R als solcher genannt werden, der am unselbststaendigsten ist; unter den 91 zuerst durch Cobet veroeffentlichten Scholien desselben erscheint nicht eins, das sich nicht auch in einer der uebrigen Handschriften faende. — Ex Nicanore sumpsit ad β 2* scholia.

His praemissis hic codicum ordo efficitur, si numerum scholiorum, quae in iis servata sunt, respicis:

1. Q cum 74 scholiis.
2. H „ 69 „
3. P „ 68 „
4. M „ 26 „
5. B „ 25 „
6. V „ 17 „
7. E „ 13 „
8. S „ 12 „
9. T „ 11 „
10. Vind. „ 2 „
11. R „ 2 „

Si modo eorum scholiorum ratio habetur, quae Nicanoris verba ipsa continent, codices sic sequuntur:

1.	P	cum 49*	scholiis.
2.	Q	„ 39*	„
3.	H	„ 37*	„
4.	M	„ 16*	„
5.	S	„ 7*	„
6.	B	„ 6*	„
7.	T	„ 6*	„
8.	E	„ 5*	„
9.	V	„ 4*	„
10.	Vind.	„ 2*	„
11.	R	„ 2*	„

Talis est ordo manuscriptorum, ratione habita eorum scholiorum, quae singulis codicibus debentur, in aliis non leguntur:

1.	P	cum (31)	scholiis.
2.	H	„ (26)	„
3.	Q	„ (13)	„
4.	V	„ (6)	„
5.	B	„ (4)	„
6.	E	„ (3)	„
7.	M	„ (2)	„
8.	Vind.	„ (1)	„

RST non habent scholia propria et peculiaria, ex Nicanore hausta.

Neque inter fontes Nicanoris doctrinae neglexi Eustathium, quem, quamquam non magnam meret laudem, tamen non sine aliquo certe Nicanoris commodo pervolvi. Sunt viginti et sex loci, ubi solus aut Nicanoris fragmenta servavit, aut indicat sane eius adnotationem exstitisse, quae comparatis praeceptis ceteris facile restitui potest.

Praeterea ex scholiis ad Iliadem Nicanoris adnotationes, in quibus Odysseae loci citantur, in hanc reliquiarum *περὶ Ὀδυσσεϊακῆς στιγμῆς* collectionem transtuli. Sunt octo scholia ad α 208. θ 186. μ 75. ν 147. ρ 593. τ 303. χ 175. ω 491.

Hoc apparatu fontium instructus Nicanoris fragmenta collegi collectaque quantum fieri poterat emendavi. Ita autem rem in-

stitui, ut quatenus liceret codices ponderarem et optimorum auctoritatem sequerer, sin minus id eligerem, quod maximam probabilitatem prae se ferret. Vix est quod verbo moneam hanc totam quaestionem, quae in digerendis genuinis Nicanoris fragmentis posita est, a codice Veneto A quasi firmo ac solido fundamento ortam esse. Quae adnotationes Nicanoris verba ipsa servaverunt, asterisco * — ut supra commemoravi — quae eius fragmenta, sed interpolata aut verbis submutatis expressa continent, cruce † signavi. Quae speciem quandam Nicanoreae originis habere neque tamen satis certa esse videbantur, sub textu posui, cum omnem verborum ac de rebus incertis neque ad liquidum perducendis disputandi libidinem comprimerem. Neque hoc a me obtinere potui ut codicum lectiones, quae scribentium ludibria Dindorfius in editione scholiorum diligenter adnotavit, propterea quod ad summan quasi rem non pertinent, sed infinitam veterum librariorum licentiam demonstrant, rursus proponerem. Longe maior illarum lectionum pars superflua et aperte ex scribentium errore nata est, tantumque abest ut ad Nicanoris crisin quidquam conferant, ut praeterquam quod numerum augeant, nihil commodi habere videantur. Spero autem optoque ut haec ratio harum rerum iudicibus non displiceat.

Restat iam ut singulas Nicanoris adnotationes, singulis Odysseae versibus appositae ita componam, ut uno in conspectu universa distinguendi ratio Nicanoris, quantum in hac fragmentorum paucitate fieri licet, perspicui possit atque demonstretur haec scholia, quae contuli, vere Nicanoris esse et easdem interpungendi leges in Odyssea atque in Iliade esse observatas. Quarum legum summa consensio quo magis in adspectum lucemque proferatur ego in hoc summario eandem disponendi rationem secutus sum, quam Friedlaenderus in prolegomenis ad Nicanorem adhibuit, neque quisquam me ita fecisse mirabitur, qui cognitum habebit, qua ille diligentia, subtilitate, doctrina in Nicanoris distinguendi legibus exquirendis et perscrutandis elaboraverit. Spero etiam fore ut hoc Ὀδυσσεϊακῆς στιγμῆς argumentum lectori quasi index non ingratum sit.

1. Nicanor iusto propensior fuit ad intellegendum, quod non positum esset, verbum substantivum. FN (i. e. Nicanoris περὶ Ἰλιάκῆς στιγμῆς reliquiae emendatiores. Edidit Ludovicus Friedlaender. Regimontii Prussorum 1850) p. 24 seq.:

- a) Omissum est ἐστὶ α 50. δ 606. εἰσὶ μ 102*. ξ 100.
- b) Enuntiationes imperfectas, quae verbo proximo praecedente a communi accepto complendae erant, verbo substantivo intellecto perfectas reddere Nicanor maluit. FN p. 25: omissum est ἦν ε 236. 477*. ἦσαν η 103.
- c) Optativus verbi substantivi supplendus est: εἴη β 33. λ 614*. εἴεν δ 684.

2. Ubi syllaba finali elisa libera optio facta est, utrum verbi finiti an infiniti supplere malis terminationem, illud praefert Nicanor. FN p. 26 sq.: ο 204*.

3. Imperativus per se absolutus est. FN p. 27: θ 347*.

4. Item infinitivus pro imperativo accipiendus: ε 30*.

5. Ambigitur utrum infinitivus pro imperativo positum sit an proprie dictum; illud praefertur: ο 80.

6. πρίν ante significat, non antequam. FN p. 29: ν 427*.

7. ἕως pro τέως FN p. 29: β 148*. γ 126.

8. μή absolute posita FN p. 29: ε 415*.

9. Optandi modus pro imperandi accipiendus est FN p. 30: ο 24. ω 491.

10. εἰ δ' ἄγε FN p. 30 sq.: α 271. β 178. δ 832. ι 37. χ 391.

11. ὥς pro utinam FN p. 31: α 47. β 182*.

12. Ambigitur utrum interrogatio duplex, cuius prius membrum ab ἦ gravato, alterum ab inflexo incipit, pendeat necne FN p. 32: δ 487*. 712*. κ 170.

13. Articulo demonstrativa significatio tribuitur pro relativa FN p. 34: η 255*. ψ 28*.

14. ὥς pro ὅτι posita est FN p. 34 sq.: α 227*. β 232*. ε 11*

15. Sententiae relativae, quae ab antecedentibus pendent, interiective dicuntur esse proferendae quasi admirantium exclamations, non ὁμοιωματικῶς sed θαυμαστικῶς FN p. 35: β 239. δ 141*. 240*. 269*. 373. 611*. 665*. ε 11*. 183*. η 74. 214. λ 519. ξ 491. ρ 160. 479. 514. σ 143. 221. χ 217. ω 512.

16. ἡ κλητικὴ ἀντοτελής οὔσα στιγμὴν ἀπαιτεῖ FN p. 36: γ 230. δ 78*. ο 46*. π 23. ζ 302.

17. Dubitatur, quae voces in unum allocutionis membrum coire, quae separari debeant FN p. 39: β 96*. ε 118.

18. Unum verbum vel nonnulla in fine versus posita ab antecedentibus decerpta ad novum versum trahi possunt FN p. 42: ε 56*. ε 313*.

19. Ubi non una cum versu desinit sententia, sed in sequentem aut una vox aut nonnullae porriguntur, hae prioribus continuandae sunt FN p. 42: β 45. δ 690*. ε 164*. ζ 2. 55*. η 224*. κ 143. — Dubitanter loquitur Nicanor: β 270*. δ 279*. 775*. ε 120*.

20. Vocabulum ad antecedentia trahitur propter hyperbaton FN p. 44: δ 347*. Ad hyperbaton pendet ι 281*.

21. Vocabulum ad sequentia trahendum est FN p. 44: δ 763*. ε 208*. ζ 92*. η 65*. 125. 203*. θ 492. ν 293. δ 642*.

22. Eorum sensuum, qui cum sequentibus nulla coniunctione connexi sunt, clausulae legitima sive plena notantur distinctione FN p. 46 sq.: μ 120. η 73*. θ 329*. 487*. ζ 183*. ο 205*. α 241*. η 210*.

23. ἡ τελεία στιγμή ponitur, ubi aliquis, postquam se dicturum pronuntiavit, iam ipsam inchoaturus est orationem, quod nos duobus punctis: significamus FN p. 47: δ 655*.

24. Singulae voces, quae adiiciuntur antecedentibus, καὶ ἑαντάς proferendae sunt ad augendam vim acclamationis FN p. 13: ε 101.

25^a. In dubitationem vocatur, quorsum unus sensus pertineat et unde alter incipiat. Plus ponderis inesse videtur dissolutis quam vinctis enuntiationibus FN p. 48: θ 72.

25^b. Soluta oratio maxime convenit animi permotionibus FN p. 49: ε 415*. ο 277. π 431. ρ 400. σ 15. τ 71.

26. σικτέον αἰτήματι FN p. 53: δ 555*.

27. Enuntiationes pendentes si ex pluribus membris constant, haec membra στιγμήαις seiunguntur, ut non pendeant, sed novum sensum inchoent FN p. 53 sq.: δ 364*.

28. Sunt sententiae perfectae copulae quidem illis particulis, quarum tamen coniunctio nimis arcta visa est, quam ut στιγμήν admitteret. Si enim binis sententiis aliquid commune est, ad quod utraque refertur, hoc quasi vinculo in unum coeunt neque maioribus interpunctionibus se disiungi patiuntur. Qua in re non semper in aperto est, utrum re vera illa relatio ubique

sententiae communis sit an ad alteram solam pertineat FN p. 54 sq.: η 226*.

29. Duae sententiae per complexivam καὶ coniunctae συγμῆ seiunguntur FN p. 58: ζ 180*. β 289*. δ 534*.

30. Non constat, ubi interpungendum sit FN p. 16: λ 475. ζ 141. δ 650.

31. ἐπεὶ coniunctio supervacanea est FN p. 61: γ 103. δ 204. ζ 187.

32. Apodosis post εἰ elliptice omissa FN p. 62: β 115*.

33. Quaeritur utrum ad sequentem an ad praecedentem redditionem pertineat protasis FN p. 62: β 143*.

34. Non ad intellegendum promptum est, ubi finis sit statuendus protaseos apodoseosque exordium FN p. 62 sq.: β 278*.

35. Singula vocabula et protasi et apodosi recte adiici possunt FN p. 63: γ 45*.

36. In redditione supervacanea est δέ coniunctio FN p. 63: ϵ 444. ζ 228. ξ 87. 402.

37. ἀλλά apodosin inchoans pro δὴ posita est FN p. 64: ϑ 236*. κ 174.

38. Ubi nonnulla, quae in redditione poni debent, protasi aut inserta aut ante eam collocata sunt, locus ὑποστιγμῆς tamen idem manet FN p. 64:

a) pronomini relativo respondet demonstrativum: η 211*.

b) in redditione pronomen demonstrativum non positum intelligitur: δ 222*.

39. Si protasis ex pluribus membris constat, omnibus eadem ratione suspensis coniunctionibusque inter se vinctis, his singulis ὑποστιγμαί apponendae sunt FN p. 66:

a) per δέ bina membra cohaerent FN p. 68: β 172* ω 205*.

b) per οὐδέ: β 278*.

c) per τέ: δ 428*.

d) per καί: ϵ 409*.

e) Ea ὑποστιγμῆ sola memoratur, quam statim sequitur apodosis FN p. 67: ϑ 454*.

40. Ἀνεστραμμέναί περίοδοι FN p. 71 seq.: α 40. β 132. δ 535*. 650. β 232*. δ 109*. α 274.

41. De distinctione sensuum medio sermone insertorum (τὸ ἐξῆς . . . τὰ δὲ λοιπὰ διὰ μέσου) FN p. 78: β 10*. 45. 97*.

115*. 314*. γ 137. δ 465*. ε 82. 139*. 143*. 483*. ζ 85*. 289. θ 372*. λ 350*. μ 286. ξ 5*. 138*. σ 223.

42. Si ex sermone interrupto post interiectionem nonnulla repetuntur, haec repetitio (ἐπανάληψις) interpunctionem non mutat FN p. 79: β 119. δ 342. π 383.

43. Subdistinctio usurpatur, ubi binis sententiis unum verbum commune est, ut ad alterius perfectionem necessario repetendum sit ex altera (σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ) FN p. 81: β 117. δ 97. 131. 247. θ 246. μ 175.

44. βραχεῖα διαστολή adhibetur ad distinguenda singula enuntiationum membra, quae:

a) ab una coniunctione suspensae sunt FN p. 83: θ 268. δ 363*.

b) ab uno eodemque verbo: δ 297*. η 336*.

45. Intervalla, quibus sermo sustinetur et quasi suspenditur, non deponitur, βραχέαις διαστολαῖς notantur, quae aut necessariae sunt neque possunt omitti, aut non necessariae, quibus positis sententia magis perspicua fit, ut tamen etiam non positis recte possit intelligi FN p. 84:

a) α 33. δ 102*. 149*. ε 208. 439*. ζ 167*. 287*.

b) βραχὴ διασταλτέον πρὸς τὸ σαφέστερον: δ 78*. 416*. 473*. 750* ζ 183*.

46. βραχεῖα διαστολή distinentur bina vocabula ad diversas partes referenda FN p. 88: β 321. ε 53. 478*. ο 126. σ 297. ω 116. η 65*. δ 279*.

47. Una enunciatio duo verba continet, quorum aut alterum in formam participialem abiit aut utrumque, ubi ambigitur ad hoc an ad illud pertineat id quod medium est. Haec ἀμφιβολία solvitur βραχεῖα διαστολή FN p. 91 seq.:

a) Verbum participio praemittitur: α 4. 61. η 183*. 203*.

b) Verbum participio subiicitur: α 57. β 261*. 414*. 430*. δ 473*. 627*. ε 50*. η 285*. ω 85.

48. Omnia quae accuratioris explicationis caussa addita sunt alicui notioni, sive ea singulo vocabulo expressa est, sive maiore verborum ambitu, non ab hac solum, sed etiam inter se minima distinctione dirimuntur FN p. 94: η 148. 264*.

49. Figura, qua primum ponitur vocabulum, quod totum significat, deinde ad eius accuratiorem definitionem eodem casu infertur significatio partis FN p. 95: η 103.

50. Singula membra, in appositionis genere ἀσυνδέτως prolata, inter se discernenda sunt minima distinctione FN p. 98: β 260*. δ 750*. 244. 724*.

51. Sine distinctionum intervallis continuanda sunt (ὅφ' ἐν ἀναγνωστέα) FN. p. 99: α 354. ι 15. σ 406*. π 23. ω 227.

52. Versus ab Aristarcho obelo notati distinguuntur a Nicamore FN p. 114: β 137*. δ 724*. ψ 218—223.

53. Ubi aut ante aut post distinctionem brevis est syllaba pro longa, succurrit huic defectui illud intervalli inane tempus, quo aut ultima vocabuli praecedentis aut prima insequentis syllaba producit FN p. 121: γ 230. κ 204.

54. De interpunctione

a) post tempus vicesimum FN p. 130 seq.: β 77.

b) post tempus duodecimum γ 34.

c) post tempus undevicesimum ϵ 313. 478.

ΕΙΣ ΤΗΝ Α.

4. „πολλὰ δ' ὃ γ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν,
ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἐταίρων.“

†) ἐνταῦθα στικτέον εἰς τὸ „ἄλγεα“, εἶτα „ὃν κατὰ θυμόν
ἀρνύμενος.“ QSV.

ind. 47. Nicanoris verba corrupta sic fere restituenda sunt: ἐπὶ τὸ „ἄλγεα“ βραχὺ διασταλτέον, εἶτα ἐπὶ τὸ „ὃν κατὰ θυμόν ἀρνύμενος.“ πρὸς τὸ σαφέστερον. cf. exempla a Friedlaendero p. 18 collata, in quibus quod Nicanor διαστέλλειν dicit, στίζειν dixere ei, qui Nicanorem excerptes vocabula στίζειν et στιγμή ad omnes distinctionum species significandas indifferenter adhibuerunt. Sic etiam corrigenda sunt scholia ad α 33. 57; β 132; η 148; κ 143; μ 286. — Ad hanc Nicanoris distinctionem respicit Eustathius ad γ 90: τὸ δὲ „πολλὰ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν“ παρείλκυσται μὲν ἐκ τῆς ἀρχῆς τοῦ βιβλίου. δηλοῖ δὲ ὡς χρὴ οὕτω καὶ ἐκεῖ στίζειν καὶ μὴ ἀναγινώσκειν „ἀρνύμενος ὃν κατὰ θυμόν.“

33. „οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῆσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μέρος ἄλγε' ἔχουσιν.“

†) . . στικτέον „οἱ δέ.“ V.

ind. 45. Corr. βραχὺ διασταλτέον ἐπὶ τὸ „οἱ δέ.“ cf. ad α 4.

40. „ἐκ γὰρ Ὀρέστια τίσις ἔσσεται Ἀτρεΐδαο,
δὲ πότε' ἂν ἡβήσῃ τε καὶ ἤς ἱμείρεται αἴης.“

†) μετὰ τοῦτο (sc. Ἀτρεΐδαο) ὑποστικτέον. PV.

ind. 40. Corr. ἐπὶ τὸ „Ἀτρεΐδαο“ βραχὺ διασταλτέον, nam periodos inversas (ἀνεστραμμένας περιόδους) ita distinguit

Nicanor, ut inter redditionem praemissam et insequentem protasin βραχεῖα ponatur διαστολή. — FN. p. 71 — Ὑποστιγμὴν Nicanor non adhibet nisi aut a protasi distinguit apodosin, aut interiectiones notat, quae continuos dividunt sermones. Contra recentiores ὑποστίζειν et ὑποστιγμὴ eo sensu usurpant, quo grammatici latini subdistinguere et subdistinctio. Eodem modo dicunt ὑποστίζειν, quod in genuinis Nicanoris fragmentis διαστέλλειν dicitur. — FN p. 22/23 — Ita correxi etiam schol. ad β 45. 77; σ 297; ω 85. Nicanoris verba sic fere sunt restituenda: εἰς τὸ „Ἀτρεΐδαο“ βραχὺ διασταλτέον· ἡ γὰρ ἀνταπόδοσις πρόκειται καὶ ἀνεστραμμένη ἡ περίοδος ἐστίν. cf. ad A 397. A 352. A 672, ubi protasis item per ὅτε, ὅποτε annexa est.

„καὶ λίην κεῖνός γε ἔοικότι κεῖται ὀλέθρῳ,
47. ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὃ τις τοιαῦτά γε ῥέξοι.“

†) τὸ δὲ „ὡς ἕρις ἀπόλοιτο“ (Σ 107) ὁμοίον ἐστὶ κατὰ τὸ σχῆμα τῷ „ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος“, ὃ περ ἐν Ὀδυσσεΐᾳ κεῖται, τοῦ „ὡς“ καὶ ἐνταῦθα ἐνκτικὴν σημασίαν ἔχοντος. Eust. 1133, 53.

ind. 11. Vestigia sunt adnotationis hoc loco factae, particulae ὡς, ubi utinam significat, eandem rationem esse atque εἰ optativae. Tu reponere ut ad X 285: στικτέον μετὰ τὸ „ὀλέθρῳ.“ τὸ γὰρ „ὡς“ ἀντὶ τοῦ εἶθε, διόπερ ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς ἀναγνωστέον, iam Nicanoris adnotationem habebis integram.

50. „νήσω ἐν ἀμφιρύτῃ, ὅθι τ' ὀμφαλὸς ἐστὶ θαλάσσης,
νῆσος δενδρῆσσα, θεὰ δ' ἐν δώματα ναίει.“

†) ὅτι εἰπὼν „νήσω ἐν ἀμφιρύτῃ, ὅθι τ' ὀμφαλὸς ἐστὶ θαλάσσης“ ἐπάγει ἀκατάλληλον εὐθείαν „νῆσος δενδρῆσσα.“ καὶ ὤφειλε μὲν εἰπεῖν „νήσω δενδρῆσση“, ὡς καὶ πρὸ μικροῦ ἐρρέθη, κατὰ σχῆμα ἐπαναλήψεως. ἐστὶ δὲ ἄλλως ὁ λόγος ἀποστατικός, ὡς ἀπὸ ἀρχῆς, ἵνα λέγῃ ὅτι νῆσος ἐστὶ δενδρῆσσα. τοιοῦτόν τι καὶ ἐν Ἰλιάδι τὸ „φημὶ κατανεῦσαι τὸν Δία ἀστράπτων ἐπιδέξια.“ B. 350. — καὶ ἐκεῖ γὰρ ἀσυνδέτως κατὰ ἀπόστασιν ἄρχεται. οἷον ἀστράπτων ἦν ὁ Ζεὺς ἐπιδέξια. μάλιστα δὲ τὸ „νῆσος δενδρῆσσα“ συναπτεόν τῷ „ὀμφαλὸς θαλάσσης, ἵνα λέγῃ ὅτι ὀμφαλὸς θαλάσσης νῆσος δενδρῆσσα. οὕτω καὶ μετ' ὀλίγα εἰπὼν „Κύκλωπος κεχόλωται,“ — α 69 — καὶ μέλλων ἐπαγαγεῖν ἀντιθέου

Πολυφύμων, ὅμως ἥλλαξε τὴν σύνταξιν ὁμοιοπτότως¹ τῇ ἐπεμβολῇ „Κύνλωπος, ὃν ἀλάωσεν, ἀντίθεον Πολύφρημον.“ Eust. 1389, 28.

57.

„αὐτὰρ Ὀδυσσεύς,

ἴεμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης, θανέειν ἰμείρεται.“

†) ἐνταῦθα στικτέον. (sc. ἧς γαίης) τὸ γὰρ ὄλον, ὃ πρότερον ἐπιθυμῶν καπνὸν τῆς πατρίδος ἰδεῖν, νῦν εὔχεται διὰ τὰ κατέχοντα (κατὰ addit margo Pluygersius ex M.) τελευτῆσαι. V.

Corr. βραχὺ διασταλτέον ἐπὶ τὸ „ἧς γαίης.“ cf. ad α 4 et ind. 47. Polak l. c. p. 18 monet hunc versum absurde ita paraphrasi reddi, cum sententia aperte ea sit, ut dicat Athena, Ulyssem tanto patriae amore flagrare, ut si eam *viderit* modo, mori non recuset, quemadmodum in eandem sententiam ipse Ulysses apud Phaeaces dicit (η 224 sq.) „ἰδόντα με καὶ λίποι αἰῶν|| κτῆσιν ἐμὴν, δμῶάς τε καὶ ὑπερεφές μέγα δῶμα.“

61. „Ἀργείων παρὰ νηυσὶ χαρίζετο ἱερὰ ῥέζων.“

†) τὸ δὲ „χαρίζετο“ ἢ ἀπολύτως νοητέον, ἢ συντακτέον τῷ „ἱερά.“ Eust. 1391, 49.

Haec Nicanoreae adnotationis frustula esse apparet collatis exemplis; quae Friedlaender p. 92 de hac amphiboliae specie congressit. Post χαρίζετο distinxisse crediderim Nicanorem, cuius verba sic fere restituenda sunt: βραχὺ διασταλτέον ἐπὶ τὸ „χαρίζετο“ πρὸς τὸ σαφέστερον. ind. 47.

„εἰ δὲ ἐξ αὐτοῦ τόσος παῖς εἰς Ὀδυσῆος.

208. αἰνῶς μὲν κεφαλὴν τε καὶ ὄμματα καλὰ ἔοικας.“

De hoc loco Nicanor dixit ad Γ 156, ubi sic legitur: ἡ στιγμή κατὰ τὸ τέλος τοῦ ἐξῆς στίχον ἐπὶ τὸ „ἄλγεα πάσχειν.“ εἶτα ἀφ' ἐτέρας ἀρχῆς „αἰνῶς ἀθανάτησι,“ τοῦ „αἰνῶς“ ἐν ἴσῳ

1) Corr. Sengbusch Aristonicea p. 33 ὁμοιοπτότως, ubi vir doctissimus Aristonici adnotationem sic restituit: ἡ διπλὴ ὅτι ταῦτα οὐ κατὰ σχῆμα ἐπαναλήψεως εἴρηται „νῆσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, νῆσος δεινδρήεσσα,“ ὡς „Ἡετῶνος, Ἡετῶν ὅς ἐναίεν.“ — Z 395 — ἀλλὰ στικτέον ἐπὶ τὸ „θαλάσσης,“ εἰτ' ἀφ' ἐτέρας ἀρχῆς „νῆσος δεινδρήεσσα“ ἀντὶ τοῦ νῆσός ἐστι δεινδρήεσσα κ. τ. λ. — Non dubito quin Nicanor hac in distinctione secutus sit Aristonicum — cf. ind 1 — et hoc in Eustathii scholio etiam Nicanoris reliquiae insint, ab verbis „ἔστι δὲ ἄλλως“ usque ad „ἐπιδέξια.“

κειμένον τῷ λίαν, ὡς „αἰνῶς γὰρ κεφαλὴν τε καὶ ὄμματα καλὰ.“ — α 208. — τινὲς δὲ τῶν καθ' ἡμᾶς τοῖς ἄνω προστιθέασιν τὸ „αἰνῶς,“ καὶ οὐκ ὀρθῶς τῷ „πάσχειν“ συνάπτουσιν, unde simile veri est Nicanorem hoc loco item distinxisse post Ὀδυσῆος.

227. „ὥς τέ μοι ὑβρίζοντες ὑπερφιάλως δοκέουσιν.“

*) τὸ „ὥς“ ἀντὶ τοῦ ὅτι. τὸ δὲ ἐξῆς, ὅτι μοι δοκοῦσιν ὑβρίζοντες ὑπερφιάλως. Q. T. (Dind. p. 736). ind. 14.

241. „νῦν δέ μιν ἀκλειῶς ἄρπυιαι ἀνηρεΐψαντο.

οἴχεται ἄιστος ἄπυστος, ἐμοὶ δ' ὀδύνας τε γόους τε κάλλιπεν.“

*) ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς τὸ „οἴχεται ἄιστος“ κατὰ ἀναφώνησιν. B. T. (Dind. p. 736). ind. 22.

271. „εἰ δ' ἄγε νῦν ξυνίει καὶ ἐμῶν ἐμπάζεο μύθων.“

